

ad ipsum operationes significantur, ergo non per relationem in finem.

XLVI. Respondetur ad principale argumentum negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod relatio ista non est necesse, quod in omnibus locis, ubi agitur de bonis operibus, eorumque merito explicite agatur de ordinatione charitatis in finem explicite; sufficit quod implicite; et in aliquibus locis etiam satis exprimitur, unde sumitur ratio hujus pro reliquis. Et quidem implicite significatur hæc relatio in finem hoc ipso, quod dicitur opera bona fieri ab hominibus justis deliberate, et modo humano; sic enim necessario referuntur in finem, quia vel sunt actus intentionis, et isti versantur erga finem; vel electionis, qui ex fine intento derivantur, et ab illo dependent et sic referuntur ad aliquem finem ultimum, quia omnis intentio debet sistere in aliquo ultimo fine, et ab aliquo fine dependere, qui se habet ut prima causa finalizans, et reliquas movens. Ex ordine autem ad finem, sumitur ratio boni in his, quæ sunt ad finem; ideoque ordo ad finem in istis, est quædam ratio bonitatis in objecto, ut dicit S. Thomas infra q. xix, articulo vii ad primum; eo quod objectum redditur bonum per relationem ad finem, cujus gratiam fit, nec potest a fine præscindere actus, humano modo factus, nec a fine ultimo, hoc ipso quod ex fine: quia in aliquo fine sistendum est. Unde hoc ipso, quod numerantur illæ actiones tamquam humanæ et humano modo factæ, ordo ad finem in eis importatur implicite, quatenus objectum humani actus fine, aut ordine ad finem, non est.

XLVII. Quod si dicat Vazquez se non dubitare, quod omnis actio bona, hoc ipso, quod humano modo fit, ordinetur ad finem etiam remo-

tum, et ultimum, sed non constare, quod requiratur illam ordinationem esse ad finem charitatis, ut meritorius fit:

XLVIII. Ad hoc respondemus, quod in præsentem nos solum agimus in communi, de ordinatione virtuali in finem ultimum. Quod autem sit ad finem charitatis supernaturalis, pendet ex aliis principiis, quam ex præcisa ratione actus humani; nempe quia in genere meriti supernaturales sunt, si quidem merentur præmium essenziale supernaturale, et supernaturalitatem istam habere non possunt, nisi ex objecto, et fine; sicut nec bonitas naturalis ordinis haberi potest nisi ex istis principiis, scilicet, objecto et fine naturali. Ex eo autem præcise, quod operans est in gratiam, seu habet gratiam habitualement, nascitur quidem æstimationis, et valor operum, quoad dignitatem subjecti, circumstantiamque personæ pertinet ad moralitatem æstimationis, et dignitatis, sed ultra hoc requiritur moralitas rectitudinis, quæ ex objecto, fineque desumitur: quia si finis non movet, actus ipse circa suum objectum non egreditur; et ut supernaturaliter moveatur, et in objectum supernaturale tendat, indiget supernaturali fine, ad quem ordinetur, et cujus gratia moveatur; qui utique finis per charitatem attingitur: per solam autem fidem, et spem, si non sit in gratia, non meretur quis, si vero sit in gratia, actus illi non exeunt ab operante, nisi ex fine aliquo supernaturali, saltem proximo, et proprio talium virtutum, qui virtualiter respicit finem charitatis, si quidem ad illam disponunt. Sed de hac virtuali relatione ad finem charitatis, pro merito vitæ æternæ, plura dicentur agendo de merito ad quæstionem cxiv.

XLIX. Potest etiam ista ordinatio virtualis in ultimum finem requisi-

ta ad bona opera, accipi explicite ex verbis Concilii Tridentini ses. vi, c. xvi, ubi inquit: « Quod cum ille ipse Christus Jesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificados virtutem jugiter influat, etc. nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene, illis quidem operibus, quæ in Deo facta sunt, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfacisse, et vitam æternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, promeruisse censeantur. » Ubi Concilium, non quælibet opera pro consecutione æternæ vitæ requirit, sed illa quæ in Deo facta sunt. Illa enim opera bona in Deo facta sunt, quæ ex amore Dei, vel formali, vel saltem virtuali facta sunt; quia ex aliquo charitatis influxu fiunt. Nec valet explicatio Vazquez dicta disputatione cccxvii, num. xxix, quod præpositio in significat idem quod per, id est, per auxilium Christi, sicut cum dicitur ad Ephes. i: *Qui benedixit nos omni benedictione spiritali in Christo*, hoc est, per Christum: et in aliis multis locis ly in significat per. Nec Concilium aliquid amplius postulat, ut bona opera sint meritoria vitæ æternæ, quam ut sint satisfactoria divinæ legi, cum de utroque æqualiter. Ut autem satisfaciamus divinæ legi, non requiritur quod opus fiat ex charitate: sicut præcepto honorandi parentes, vel audiendi sacrum, satisfacit quis etiamsi ex charitate id non faciat: ergo etiam sine tali ordinatione charitatis erunt opera meritoria; aut saltem si requiritur, quod aliquis sit in statu habitualis charitatis, ut meritoria sint opera, id solum significabitur per opera in Deo facta, scilicet, in habituali charitate ad Deum facta.

L. Sed facile ad hæc respondetur quod etiamsi particula in aliquando

æquivalet particulæ per, non tamen in præsentem ita accipitur a Concilio, quasi opera facta in Deo, sit idem, quod facta per auxilium Dei, quia jam Concilium fecerat mentionem auxilii divini, dicendo: « Quod cum ipse Christus Jesus tamquam caput in membra jugiter virtutem influat, quæ virtus, bona eorum opera antecedit, comitatur et subsequitur. » Ecce mentio facta de omni auxilio divino antecedenti, comitanti, et subsequenti: ad aliud ergo statim subjungit nihil deesse operibus in Deo factis, etc. si per opera in Deo facta, intelligit facta per auxilium Dei. Nonne esset hæc inutilis repetitio, ad nihil deserviens: Cum Christus jugiter auxilium influat in opera, nihil deest operibus, quæ in Deo, hoc est per auxilium Dei sunt facta, ut promeruisse dicantur etc.? Si enim per auxilium supponitur opus factum, ad quid iterum repetit, quod in Deo sunt facta, hoc est per auxilium? Quod vero Concilium, idem prorsus requirat ut sint impletoria, seu satisfactoria legis, et ut sint meritoria, dicimus Concilium loqui copulative, scilicet, quod ut sint satisfactoria legis, et meritoria, requiritur quod sint in Deo, hoc est amore Dei facta, non divisive, quasi id requiratur, ut præcise sunt impletoria legis. Constat enim impleri posse aliquod opus legis sine gratia habituali et charitate, ut in allatis exemplis convincitur. Nec per opera in Deo facta, significatur solum in habituali charitate facta: habitualis enim charitas, solum pertinet ad hoc ut ipse homo justificatus sit, et in gratia Dei, sed Concilium jam supposebat se loqui solum de justificatis, dicendo: « Cum ipse Christus Jesus, tamquam vitis in palmites, in ipsos justificados jugiter virtutem influat. » Ergo quando postea dicit, per opera in Deo facta promereri, ly in

Deo, non significat, in habituali gratia: esset enim idem ac dicere, per opera justificatis facta, seu ab habentibus charitatem; et sic esset inutilis repetitio, cum jam prædixisset se loqui de justificatis.

LI. Denique Concilium ipsum capite decimo dixerat, quod justificati crescunt in justitia, cooperante fide bonis operibus; ergo non quæcumque opera merentur augmentum justificationis, et vitæ æternæ, sed illa quibus fides cooperatur: ergo supponitur in operibus ipsis aliqua relatio, saltem virtualis ad objectum fidei; nec enim fides cooperatur operibus, nisi mediante aliquo objecto credito, quod amatur: ergo requiritur ordo virtualis saltem ad supernaturalem finem, seu ad supernaturale objectum. Nec sufficit ad mandatorum impletionem, solum opera naturalis ordinis, seu virtutis acquisitæ facere, ad meritum supernaturale; cum omne meritum supernaturale debeat a fide dirigi, et cooperari debeat fines bonis operibus. Et iterum mandata Dei, non solis præceptis naturalibus continentur, sed etiam supernaturalibus; ergo ad eorum impletionem non sufficit opera acquisitæ virtutis nude facere, sed etiam relationem ad supernaturalem finem, seu objectum habere.

LII. Unde etiam intelligitur, quod cum in evangelio dicitur: *Qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo quia Christi estis*, Marci ix: et iterum Matth. x: *Qui receperit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet*: et Matth. xvi: *Qui reliquerit patrem, aut matrem propter nomen meum, etc.* sufficienter explicari, quod requiratur ad meritum aliqua relatio ad Deum, seu ad finem ultimum; quia *ly* propter, id ipsum apertissime designat, et *ly* in nomine Christi, etiam sic intelligitur a Theophylacto, quem citat D. Tho-

mas in catena, Marci ix, et videri potest Chrysostomus homilia xxxvi in Matthæum, licet non eodem modo semper requiratur illa relatio in finem in omni merito; sed in merito de condigno requiritur relatio in finem simpliciter ex charitate, nec compatitur cum statu peccati. In merito autem de congruo, si sit congruitas non amicabile, nec fundata in jure amicitiae, sed in Dei misericordia, requiritur ordo in finem non simpliciter; sed quantum est ex parte operis, licet non sit ex parte operantis. Et hac ratione potest etiam peccator in nomine Christi dare potum aquæ frigidæ, nec tamen mereri vitam æternam; sed aliquo modo disponi, et congrue se habere, quia non simpliciter facit in nomine Christi.

LIII. Ad confirmationem respondetur ex dictis, requiri relationem in finem, ut conditionem, quia omnis actio humana circa finem est, aut ex fine derivatur, illumque supponit, et respicit. Neque caret fundamento, cum tam multis testimoniis, et ratione stabilitum a nobis sit. Nec lex impletur sine charitate, cum etiam de charitate præceptum in lege sit: *Et plenitudo legis est dilectio*; et in evangelio mandatum novum de charitate datur. Quod vero dicitur, plura opera bona fraudari merito, si illa relatio in finem requiratur, respondetur nullum opus fraudari merito sibi proportionato, et debito; si enim supernaturale meritum habere debet, oportet quod supernaturale opus sit, nec enim potest ratio meriti excedere ipsam bonitatem, perfectionem actus, cum meritum sit proprietas consequens actum moralem bonum; ut docet S. Thomas infra quæstione xxi. Supernaturale autem opus, relationem habet ad finem charitatis, quia si opera virtutum quæ fiunt, naturalis ordinis sint, et a virtutibus acquisitis

procedant, non poterunt supernaturalizari nisi ex imperio virtutis supernaturalis, quæ ad suum finem supernaturalem dirigat, et ordinet tale opus. Virtus autem supernaturalis infusa non operatur sine charitate, aut ordine, vel dispositione ad illam. Et juxta Concilium Tridentinum augmentum in gratia et justificatione fit cooperante fide bonis operibus: ergo meritum supernaturale ipsius augmenti gratiæ, vel gloriæ, cooperationem fidei requirit; ergo et relationem in objectum fidei, seu in finem fidei: aliter non apparet quomodo cooperetur fides bonis operibus. Quid ergo mirum quod requiratur relatio in finem supernaturalem, sive fiat immediate per actum charitatis, sive per alium affectum, qui sufficiat referre opus illud in finem supernaturalem a fide propositum, ut fides cooperetur bonis operibus? Nec est difficile hominem justificatum quandoque habere actum, quo se et omnia sua referat in Deum, et hic si non interrumpatur per contrarium, sufficit ut opera illa habeant relationem in finem supernaturalem, et sic non fraudentur merito supernaturali. Quod si tandem fiat aliquod opus ex mere naturali fine, non ordinatum in finem supernaturalem, neque a charitate, neque ex cooperatione fidei; quid mirum, quod tale opus careat merito supernaturali? Nec requiritur ad hoc major notitia, aut advertentia in hominibus, quam quæ requiritur ad cooperationem fidei cum bonis operibus, aut ad faciendum actum charitatis aliquando, qui omnia opera sufficit ordinare in finem ultimum, quamdiu non retractatur.

LIV. Ad id quod ultimo dicitur, de dignificatione operum, respondetur requiri quidem dignificationem personæ seu subjecti, ut opera meritoria sint quia si persona non

est grata Deo nihil illi placet, quod ab eo procedit, sed ultra istam dignitatem requiritur opus ipsum, si est meritorium supernaturalis præmii, sit in se supernaturale, vel ad finem supernaturalem ordinetur, et cooperetur fides illi operi bono: quia meritum non solum attenditur ex dignitate personæ, sed ex ratione operis, in cujus bonitate fundatur ratio meriti. Nec obstat, quod in actibus Christi, etiamsi non essent supernaturales, nec relati in finem supernaturalem, sed mere naturales, seu virtutis acquisitæ, per hoc solum quod essent procedentes a persona infinita, essent meritorii cujuscumque præmii: ergo ordo in finem supernaturalem per se non requiritur ad rationem meriti supernaturalis. Respondetur enim, quod nos loquimur in præsentia de merito, connaturali modo habito, et fundato in ipsa bonitate operis, et ex sua specie supernaturalizato, et applicato, seu ordinato ad præmium supernaturale, seu ad promerendam vitam æternam, quod sine ordine ad talem finem stare non potest; aut sine hoc quod procedant ab ipsa gratia effective; et per hoc supernaturalitatem ex fine, vel objecto participant. Cæterum opera Christi, si non procederent a gratia habituali, nec ad finem supernaturalem essent relata, non essent ex sua specie supernaturalia, et meritoria vitæ æternæ; tamen in exercitio, et ex parte personæ essent supernaturalia eminentiori modo. Unde non haberent sanctitatem formalem, et specificam, sed personalem, quæ eminentior esset accidentali sanctitate; ac per hoc licet formaliter non essent ordinata ad finem supernaturalem, essent tamen eminenter, quatenus ab ipsa Persona divina procederent, eique conjungerentur, et subordinarentur, quæ est ipse ultimus finis omnium. Et

sic possent quodcumque præmium mereri, ex supernaturalitate, et ordine ad finem supernaturalem eminenti, non formali. Nos autem non loquimur de tali merito tantæ eminentiæ. Indigeret tamen illud meritum, et actio Christi, non ad sui personalem valorem, sed ad applicationem, et determinationem pro isto fine, seu objecto determinato promerendo, aliqua cognitione applicativa ad finem supernaturalem, si talem promereri voluisset.

ARTICULUS VII.

Quomodo peccatum mortale, et veniale habeant finem ultimum in creatura?

Ex difficultate supra posita, et resoluta, quod in omni opere, et in omni operante datur ultimus finis, isque tantum possit esse unus, resultant difficultates aliquæ, præsertim circa peccantem mortaliter, et venialiter, quæ discussione peculiari indigent, supposito quod in omni opere debet inveniri dependentia, et influxus finis ultimi illud, ut articulo præcedenti ostensum est.

PECCANS MORTALITER, ETIAM DIVERSIS PECCATIS, UNUM ULTIMUM FINEM CONSTITUIT IN CREATURA.

I. Prima difficultas est de peccante mortaliter, qui omnino avertitur a Deo fine ultimo, tam ex parte operis, quam ex parte operantis. Potest autem peccator diversa peccata mortalia committere, etiam disparate se habentia, sicut luxuriam, superbiam, infidelitatem, etc. et in unoquoque ponere videtur ultimum finem, quia per quodlibet eorum, avertitur a Deo. Et sic videtur plures fines ultimos habere disparatos,

aut saltem non posse illos plures fines, in aliquo uno fine uniri. Nam licet omnia illa velit peccator sibi ipsi, et sic se ipsum constituere videtur finem ultimum, tamen ipse peccator non est sibi ipsi finis cujus gratia, nec bonum satiativum sui, sed solum finis cui. Nos autem præsentem non solum ponimus dari unum finem cui, sed unum finem ultimum cujus gratia, et de hoc inquirimus, quis sit in peccante mortaliter multa peccata?

II. Ex alia parte videtur non repugnare, quod maneat peccator cum ordine ad finem ultimum creatum, et increatum, saltem virtualiter. Nam contingit, quod aliquis victus tentatione luxuriæ, succumbat, et fornicetur, et tamen sit paratus mori pro fide, qui tamen pro delectatione illa prava, vitam non exponeret; ergo plus amat Deum, quam meretricem. Et similis casus est, si quis paratus sit committere peccatum luxuriæ, si tamen necesse sit expendere centum, nolit fornicari; illa tamen centum expendere pro sublevando paupere, vel pro adjuvanda fide. Iste peccat mortaliter, volens peccatum luxuriæ; et tamen non vult luxuriam ut finem ultimum, quia non vult meretricem plusquam illa centum, nec illa centum plusquam Deum, sed Deum anteponit illis centum, imo et vitæ, quia illam daret pro fide divina: ergo non ponit ille peccans, finem ultimum in creatura. Alia exempla postea adducemus.

III. Dicendum nihilominus est, rem esse omnino certissimam, quod mortaliter peccans, ponit finem ultimum in creatura, loquendo in omni proprietate, et rigore, et non solum intelligendo hoc negative, hoc est, quod non ponit peccator finem ultimum in Deo; sed etiam positive, quia in creaturam tendit, tamquam in finem ultimum suæ vo-

luntatis, et desiderii. Conveniunt communiter in hac conclusione theologi cum D. Thoma infra quæst. LXXXVIII, art. 1 ad quartum, ubi aperte inquit: « Quod bonum commutabile non accipitur ut terminus contrapositus incommutabili bono, nisi quando constituitur in finem. » Et idem exprimit quæst. LXXXIX, art. 1 ad tertium, et, 2-2, quæst. XXIV, art. x ad secundum. Et Hadrianus, qui oppositum tenuisse dicitur in quodlibeto VII, art. III, censura temeritatis ab aliquibus notatur. Et revera vix possunt verba Scripturæ accommodari, si negetur finem in creatura constitui, non solum negative, hoc est, quia non tenditur in Deum, seu relinquitur Deus; id enim apertissime exprimitur in Scriptura: sed etiam quia positive tenditur in creaturam, ut in finem. Dicitur enim Hieremiæ II: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Quod utique fit per hoc quod peccator satiari vult in creatura, quasi sitim et ardorem extinguens in aqua fœtida cisternæ, relicto clarissimo fonte aquæ vivæ. Ad Philippenses III dicitur de quibusdam: *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt.* Ecce venter, qui est aliquid creatum, habetur ab istis pro Deo, id est, pro fine ultimo, nam speculative, et entitative, certum est non habere illum pro Deo. Et similiter habere illum pro gloria, aperte designat ultimum finem, quia est id quod præcipue diligitur tamquam terminus; ad gloriam enim tendimus ut ad finem. Denique Joannis XII dicitur de quibusdam: *Quod dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei:* et Matth. X dicitur: *Quia amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Ergo ponitur in

creaturis amor aliquis excedens, et major amore Dei. Amor autem Dei, quando recte habetur, est finis; ergo quando plus amatur creatura quam Deus, nec subordinate ad Deum diligitur, utique tamquam finis diligitur, non tamquam medium. Et sic positive habetur ut finis ipsa creatura, quia positive diligitur, plusquam Deus.

IV. Et traditur hæc doctrina generaliter ab Augustino, dum totam perversitatem humanæ vitæ collocat in hoc quod fruatur utendis, vel utatur fruendis, ut patet in libro LXXXIII quæstionum, q. XXX, et X de Trinitate, c. X. Frui autem ex Augustino lib. X de civitate, c. X, et libro I de doctrina christiana cap. IV et V, non est aliud, quam alicui tamquam ultimo fini adhærere. Quia ergo fruitor utendis, habet ipsa utenda, tamquam ultimum finem, utenda autem, sunt creaturæ. Nec satisfacit solutio Hadriani. Augustinus loquitur de fruitione late, non proprie sumpta. Nam ista fruitio impropria, vel respicit creaturas ut finem ultimum, vel ut subordinatas fini ultimo extra creaturas, qui est Deus. Si primum, habemus intentum. Si secundum, nulla est perversitas, quod fruamur creatura ut subordinata Deo, juxta illud Apostoli ad Philemonem: *Ita frater ego te fruar in Domino,* ut frui ipso dixerit, non tamquam termino, sed tamquam medio, ut ex Augustino lib. I de doctrina christiana, cap. XXXIII, explicat D. Thomas infra q. XI, art. III ad primum. Ac denique idem Augustinus libro de libero arbitrio, c. XXIV: « Unde, inquit, hæc aversio? Nisi dum ille cui bonus est Deus, sibi ipsi vult esse bonum suum, sicuti sibi est Deus. » Hoc autem est apertissime in bono creato, scilicet, in se finem constituere, et se ipsum pro regula agendorum, habere.

V. Fundamentum autem ex dictis